



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

8. Quot sunt vniuersalis species.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Dices secundo: quidquid cōuenit superiori, debet cōuenire inferiori, hinc enim optime colligitur, quod si animal, quod est superius ad hominem, sit substantia, aut uiuens, aut corporeum, quod homo & equus sint etiam talia; ergo si prædicabilitas de pluribus speciebus cōueniat animali, etiam conueniet homini cōtento sub animali, & cōsequenter, si omne illud, cui cōuenit talis prædicabilitas, sit genus, etiā homo erit genus contra dicta.

Aliqui videntur sibi tollere hanc difficultatem recurrendo ad secundas intentiones & relationes rationis, quasi scilicet in illis falleret illa regula: Quod conuenit superiori conuenit inferiori: quæ tamen vera est vniuersaliter in primis intentionibus, seu in prædicatis, quæ sunt à parte rei ante opus intellectus, seu quæ non sunt secundæ intentiones aut relationes rationis.

100. *Sed contra*, quia habere aptitudinem remotam & fundamentalem ad fundandam secundam intentionem seu genericitatem logicam, est prædicatā primæ intentionis & non secundæ intentionis, nec ens rationis secundum hos auctores; sed illud conuenit animali; ergo deberet cōuenire homini & Petro non obstat hac responsione. Subsumo: sed cuiusque conuenit ista aptitudo remota & fundamentalis, ipsi conuenire potest secunda intentio generis; ergo potest conuenire Petro & homini, quod est intentum obiectionis, & contra communem resolutionem præmissam.

Cur prædicabilitas conueniens superiori, non conueniat inferiori.

101. *Respondetur ergo aliter*, distinguendo antecedens: quidquid conuenit superiori, debet conuenire inferiori; hoc est reperiri in illo sicut ipsum superius reperitur in illo, concedo antecedens; hoc est debet ita conuenire illi, ut possit prædicari de illo, nego antecedens: ad cuius probationem dico non propterea præcise prædicari substantiam de homine, & uiuens, quod prædicetur de animali quod est superius ad uiuens: sed quod nihil sit in homine quod impediat quominus ut reperiuntur in ipso illa prædicata, ita etiam prædicari possint de ipso: unde nego consequentiam, quia licet illa prædicabilitas reperitur in homine simul cum animalitate, cum qua identificatur (loquendo saltem de prædicabilitate remota) tamen est aliquid in homine, ratione cuius illa prædicabilitas nequeat de ipso prædicari, nimirum incommunicabilitas suæ differentie, hoc est rationalitatis, ad alias differentias essentielles. Itaque quemadmodum Pater æternus dicitur sapiens, ex eo quod habeat essentiam diuinam, cui identificatur sapientia tanquam attributum eius, & tamen non dicitur identificabilis Filio, licet habeat eandem essentiam diuinam, quæ habet illam identificationem secum necessariò connexionem; & hoc oritur ex eo quod Pater ratione paternitatis, quæ est constitutum eius, sit distinctus realiter à Filio; ita etiam licet homo dicatur substantia, quia includit animal, quod est substantia, non debet dici prædicabile de multis speciebus ex eo quod includat animal quod est sic prædicabile, quandoquidē habet rationalitatem impediētem prædicabilitatē illam eius. Et ratio est, quia, ut homo sit prædicabile de multis specie distinctis non sufficit quod includat aliquid sic prædicabile, sed requiritur quod ipsemet secundū se totum sit sic prædicabile, quod ipsi repugnat; sicut non sufficit homini ut dicatur pars, quod includat partē, sed ipsemet totus debet esse pars: ut autē dicatur sapiēs sufficit quod includat sapientiā, aut aliquid includens sapientiā.

QVÆSTIO VIII.

Quot sunt vniuersales species.

102. *N*on excludo ab hac quæstione vniuersale metaphysicum, ut faciunt multi: quamvis enim naturæ & res, quæ possint denominari vniuersales tam metaphysicè quam logicè, sint tot diuersarum specierum, ut non possit numerus earum à nobis assignari; tamen, ut secundum quod sunt vniuersales logicè, possunt reduci ad certum numerum, ita etiam secundum quod sunt vniuersales metaphysicè. Quia verò omnes Doctores conueniunt in numero vniuersalium, licet non conueniant in modo explicandi, non sunt sententiæ diuersæ hic proponendæ, sed breuiter & clare no-

stra sententia proponenda.

Prius tamen claritatis causa aduertendum est, nos hic agere de *prædicabilibus incomplexis*, & hinc excluditur ab hoc numero definitio rei, quæ quandoquidem constat genere & differentia, est terminus complexus, non incomplexus: *De prædicamentibus*, & hinc excluduntur transcendentia, ut ens, vnum, verum, bonum. *De determinatis*, & hinc excluditur individuum vagum. *De vniuersis*, & hinc excluduntur æquiuoca, & analoga non vniuersa. *De completis* saltem realiter, & hinc excluditur anima rationalis. Dico autem *realiter*, quia differentie metaphysicæ non excluduntur, & non sunt incompletæ formaliter; sed quia sunt completa realiter, hoc est identificata realiter entibus completis, comprehenduntur inter prædicabilia.

Quod si quis quærat, cur solum comprehenduntur illa prædicabilia determinata iam explicata, & excludantur cetera, sufficere debet pro ratione, quod huiusmodi prædicabilia ponantur in prædicamentis, in ordine ad quorum intellectionem agebat Porphyrius de prædicabilibus: & per hæc solui possunt plures obiectiones, quæ contra numerum quinarium Prædicamentorum opponi possent, quas propterea non erit necessarium expresse proponere.

CONCLUSIO I.

103. *Quinque tantū sunt species vniuersales metaphysicæ, ut talis formaliter.* Probatur, quia vniuersale metaphysicum formaliter consistit in vnitatem & aptitudine existendi in multis modo supra explicato: sed quinque modis diuersis potest inexistere multis; ergo quinque sunt species eius. Probatur minor, quia omnis natura communis apta est inexistere pluribus, aut essentialiter, aut accidentaliter: si accidentaliter, aut ut accidens separabile, & sic erit accidens; aut ut inseparabile, & sic erit proprium: si essentialiter, aut ut tota essentia, aut ut pars essentialis; si ut tota essentia, erit Species; si ut pars essentialis, aut ut pars essentialis contrahibilis, & sic erit Genus; aut ut pars essentialis contrahens, & sic erit Differentia. Sed hi sunt quinque modi diuersi inexistendi, & non est alius modus inexistendi pluribus, qui non reducat ad hos: ergo quinque tantū sunt modi distincti, quibus natura communis possit inexistere pluribus.

Obiicies primo: Natura Angelica, humana, equina, bo- uina, elephantina, passerina sunt naturæ communes vniuersales metaphysicè specie distinctæ, & sunt plures quam quinque; ergo dantur plures species naturæ vniuersales metaphysicè quam quinque.

Respondeo distinguendo antecedens: sunt specie distinctæ secundum modum inexistendi pluribus, nego antecedens; nam eodem modo naturæ humana, equina, bo- uina &c. sunt aptæ inexistere pluribus, nimirum tanquam tota essentia istorum plurium: alio modo, transeat antecedens.

104. *Obiicies secundo:* Non potest dari aliquid commune omnibus naturis vniuersalibus metaphysicè; ergo non debet dici quod sint quinque species distinctæ vniuersales metaphysicæ. Probatur, quia species distinctæ habent aliquid commune, in quo conueniunt. Probatur antecedens, quia non est maior ratio quare daretur aliquid commune naturæ vniuersali substantiali, & accidentalī, ut aptæ sunt inexistere pluribus, quā naturæ vniuersali positiuo, & naturæ vniuersali negatiuo, seu rationis: sed his nō potest dari aliquid commune, ergo neque illis.

Respondeo distinguendo antecedens; secundū quod sunt aptæ inexistere pluribus, nego, secundū aliā rationem, transeat, & similiter distinguo minorem probationis.

Camerarius disp. 7. Logica contra communem sententiam tenet non dari nisi duo vniuersalia, nimirum Genus & Differentiam, quamvis dentur quinque prædicabilia. Fundamentum est quia vniuersale debet esse quid vnum abstractū ab inferioribus, in quibus multiplicatur, & hinc si vna albedo poneretur in multis subiectis, & abstraheretur ab illis per intellectum, non esset vniuersalis cum sit singularis: sed solummodo genus & differentia habet inferiora, in quibus sic multiplicaretur.

& à quibus possunt abstrahi per modum vniuersalis, ergo. Sed respondetur facile negando minorem, nam album, vt sic habet pro inferioribus non solum hoc & illud album, vt album, respectu quorum habet se per modum speciei, sed etiã hunc & illud parietẽ, de quibus predicari potest accidentaliter, & in quibus multiplicatur; & sane mirũ est quod saltẽ differentiam excluderit Camerarius, cum ipsa etiã inferioribus, de quibus predicatur in quale, identificetur non minus quam genus, aut species.

Dices: si accidens & proprium essent vniuersalia, tot essent vniuersalia distincta, quot predicamenta.

Respondeo negando sequelam, quia sicut non sunt secundum Camerarium plura predicabilia quam quinque, ita nec plura vniuersalia, nam vniuersalia debent esse predicabilia.

CONCLUSIO II.

105. *Quinque etiam tantum sunt species Vniuersalis logicæ.* Hæc est communissima, & probatur, quia cum Vniuersale logicum non sit aliud, quã natura proxime predicabilis de multis, quot erunt modi diuersi, quibus potest de multis predicari, tot erunt species eius: sed quinque tantum sunt diuersi modi predicandi naturæ de multis, ergo. Probatur minor, quia quot modis diuersis potest natura inexistere multis, tot modis diuersis potest predicari de multis; sed, vt patet ex præcedenti conclusione, quinque modis diuersis potest inexistere multis, ergo &c.

Obiicit primo: Philosophus lib. 1. Topic. solum numeravit quatuor predicata, genus scilicet, definitionem, proprium, & accidens: ergo non dantur quinque.

Respondeo negando consequentiam, ibi enim solum fecit mentionem de predicatis suo instituto deferuentibus, iis scilicet, quæ poterant predicari de aliquo subiecto communi, quale predicatum non est species, quia non potest predicari nisi de indiuiduis.

106. *Obiicit secundo.* Definitio est predicabilis de multis, & tamen non est vllum predicatum ex illis quinque predicabilibus, ergo plura dantur predicabilia.

Respondeo distinguendo consequens: plura predicabilia incomplexa, nego; complexa, concedo; hic enim tantum loquimur de predicabilibus & vniuersalibus incomplexis, hoc est quæ explicite non dicunt duo predicabilia, vt adueri in principio quæstionis.

Non placet hæc responsio Auerse quæst. 8. sect. 16. quia multa predicabilia possunt per terminos complexos aut incomplexos designari; ergo non debent excludi à predicabilibus termini incomplexi. Sed in hoc valde fallitur Auerse, nec enim per terminos complexos hic excludos, intelligimus, vt ipse putat, terminos complexos vocæ, sed complexos re aut significationales aut termini omnes excluduntur, nec potest dari instantia contra.

Nec etiam placet vilo modo responsio propria ipsiusmet, nimirum quod propterea definitio excludatur, quod non distinguatur à subiecto seu diffinito; nam omnino distinguitur saltem ratione à subiecto, alias hæc propositio esset identica & non formalis: homo est animal rationale, & demonstratio potissima non constaret nisi duobus terminis; neque enim constat nisi diffinitio & proprietate; vnde si definitio & diffinitum non sint termini distincti, non erunt nisi duo termini in illa demonstratione, quod est absurdum, quandoquidẽ omnis syllogismus debeat constare tribus terminis ad minus.

107. *Obiicit tertio.* Omnia vniuersalia logica fiunt eodem modo: ergo omnino sunt eiusdem speciei. Probatur antecedens, quia omnia fiunt per actum comparatum. Probatur consequentia, quia quæ petunt produci eodem modo non habent distinctas essentias.

Respondeo primo negando consequentiam cum probatione sua, quia calor & siccitas petunt eodem modo procedere ab igne, nimirum naturaliter, & tamen sunt distinctæ species.

Respondeo secundo distinguendo antecedens; eodem modo generico, concedo; eodem modo specifico, nego antecedens, & etiam consequentiam: similiter probationem distinguo; eodem modo generico, nego; eodem modo specifico concedo.

Dices: comparatio, qua redditur natura humana vniuersalis logicæ, est diuersæ speciei à comparatione, qua redditur sic vniuersalis natura equina, & tamen utraque natura sit vniuersalis logicæ vniuersalitate eiusdem rationis, nimirum specifica: ergo quamuis omnia vniuersalia fierent per comparationes diuersæ speciei, non inde tamen sequeretur quod essent diuersæ speciei.

Respondeo, diuersitatem vniuersalium non desumi ex diuersitate comparationum, sed ex diuersitate modi, quo comparatur natura: vnde quia natura humana ad sua inferiora comparatur eodem modo, nimirum per modum totius essentia, quo comparatur natura equina ad sua, non possunt constituere vniuersalia distinctæ speciei, sed quia non eodem modo comparatur genus ad sua inferiora, quo species aut differentia, propterea constituent vniuersalia distinctæ speciei.

108. *Obiicit quarto.* Datur duplex differentia, quarum vna in modo predicandi de inferioribus differt ab altera: ergo dabuntur sex vniuersalium species. Probatur antecedens, quia differentia quæ solum potest predicari de pluribus numero differentibus; vt est differentia infima, verbi gratia rationalitas, est distincta rationis in modo predicandi à differentia, quæ potest predicari de pluribus specie differentibus, vt est differentia subalterna, verbi gratia corporeitas.

Confirmatur, quia ideo dicitur genus esse vniuersale distinctum à specie, quia est predicabile de pluribus distinctis specie; species vero non nisi de differentibus numero: ergo differentia predicabilis de pluribus differentibus specie erit predicabile distincta speciei à differentia predicabili de pluribus tantum numero differentibus.

Respondeo negando antecedens cum sua probatione; quia utraque predicatur per modum partis essentialis contrahentis: quod autẽ vna prædicetur de pluribus differentibus specie, nõ est ad rẽ; quia non desumitur distinctio vniuersalium ex rebus, de quibus prædicatur, sed ex modo predicandi de illis rebus, alias natura humana esset vniuersale distinctum à natura equina; & alias genus supremum esset distinctum predicabile ab inferiori, quod communiter supponitur falsum. Aliam responsionem indicabo in fine responsionis ad obiectionẽ sequentem.

Ad confirmationem nego antecedens, nam ratio quare genus dicatur esse vniuersale distincta rationis à specie, est quia diuerso modo prædicantur; vnum per modum partis essentialis contrahibilis, alterum per modum totius essentia.

Dices Porphyrium, qui author est huius libri, distinxisse vniuersalia per terminos: ergo cum nos non sic distinguamus ea, contradicimus Porphyrio.

Respondeo negando antecedens: quamuis enim posuerit terminos vniuersalium, hoc est illa de quibus sunt predicabilia in ipsorum definitionibus, tamen non voluit ipsorum differentia desumi ex diuersitate terminorum, sed ex diuerso modo prædicandi de illis terminis, vt patet ex de finitionibus proprii & accidentis, & ex aliis capitulis.

109. *Obiicit ultimo:* homo est predicabile de Christo, & etiam de alio supposito diuino, si scilicet assumetur alia natura humana à Spiritu sancto: sed non est predicabile vilo modo ex modis, quibus hæc predicabilia prædicantur: ergo datur aliquod vnum completum prædicamentale incomplexum predicabile de multis, quod non sit vllum ex his predicabilibus, & consequenter dantur plura quam quinque predicabilia. Probatur minor, quia non est genus respectu eorum suppositorum, quandoquidẽ non contrahatur per differentias specie diuersas ad illa; nec est species, quandoquidẽ non identificetur realiter illis suppositis, nec sit tota essentia ipsorum; nec est differentia, quia nec identificatur realiter, nec contrahit aliquod genus ad illa; nec est proprium, quia non emanat ab vlla essentia alia inclusa in illis; nec est accidens, quandoquidẽ non prædicatur in quale, sed in quid, propter quam etiam rationem sequitur, quod non sit nec differentia, nec proprium.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum primo, quod homo prædicetur de Christo seu de supposito.

Quomodo natura prædicatur de Christo.

supposito Verbi, & quocumque alio, cui vniretur natura humana hypostatice, vt accidens separabile: quamuis enim in se homo non sit accidens, tamen vt accidens competit illis suppositis, quantum ad hoc quod possit illis adesse & abesse abique illorum corruptione, & quantum ad hoc quod non sit de eorum essentia, nec proprietas ipsorum. Cum autem dicitur quod non prædicatur in quale de illis suppositis, responderi potest quod sit necesse omne prædicabile quinti prædicabilis esse prædicabile in quale.

Dici potest secundo, quod prædicatur homo de illis suppositis vt species, quia prædicatur de illis in quid, & non vt pars contractibilis, quemadmodum prædicatur genus: nec vt pars contractiva, quemadmodum prædicatur differentia, quæ etiam non prædicatur in quid.

110. Cum autem contra opponitur quod non prædicatur, vt tota essentia, quandoquidem nec identificatur realiter illis suppositis, & in illis præterea reperiatur alia essentia, responderi potest non esse necesse, vt omnibus de quibus prædicatur species vt talis, debeat identificari realiter, nam homo non identificatur supposito Petri, de quo tamen prædicatur vt species. Deinde licet illa supposita habeant aliam essentiam, tamen hoc non tollit quominus homo prædicatur vt tota essentia, quia huiusmodi prædicabilitas non arguit per se necessario exclusionem alterius naturæ & essentia, sed solummodo quod res illa, quæ prædicatur vt tota essentia, non prædicatur vt pars contractiva aut contractibilis, aut vt proprietas, aut vt accidens præsupponens subiectum.

Responderi potest tertio, cum Auerla distinguendo consequens; aliud prædicabile naturaliter cognoscibile, nego, supernaturaliter, concedo; nec id est inconueniens, aut contra prædictam diuisionis sufficientiam, quæ data est secundum proportionem luminis naturalis; ita, vt sensus sit, quod nullum sit prædicabile vniuersale lumine naturali cognoscibile, quod non sit alterum ex illis quinque.

111. *Querens*, an illa diuisio sit in species infimas, an vero in subalternas, hoc est, an quolibet prædicabile ex illis quinque, aut aliquod ex illis quinque contineat sub se plures species, vel non contineat, sed solummodo plura indiuidua. Si contineat plures species, diuisio erit in species subalternas; si non contineat, erit in plures infimas.

Respondeo, mihi satis esse probabile, quod aliqua saltem ex illis speciebus contineat sub se alias species; nam non video quin accidens prædicabile separabiliter quantum ad potentiam naturalem, & accidens non sic separabile, sint diuersæ rationis in esse prædicabilis tam bene quam proprium distinguitur ab accidente in esse prædicabilis: sed datur huiusmodi accidens, quod nequit separari naturaliter, vt calor respectu ignis, & alia quæ possunt separari naturaliter, vt calor respectu aquæ. Deinde non video cur prædicabilitas generis superioris non sit distincta rationis à prædicabilitate generis inferioris, verbi gratia infimæ; nam quamuis vtrique genus prædicatur vt pars contractibilis, tamè vnum prædicatur vt pars contractibilis per differentiam non ultimam essentialem; aliud, nempe infimum, vt pars contractibilis per differentiam ultimam essentialem; & eodem modo potest etiam differentia, quæ est prædicabilis in quale quid, diuidi in differentiam infimam & subalternam iuxta intentum obiectionis quartæ. Nec tamen hoc impediret bonitatem & adæquationem prædictæ diuisionis, sicut nec quando diuiditur animal in rationale & irrationale, impedit bonitatem diuisionis quod denter plura animalia irrationalia distincta rationis, nec quando diuiditur anima vt sic in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, impedit illam diuisionem quod denter plures animæ sensitivæ & vegetatiuæ distinctissimæ rationis.

112. Et per hoc posset responderi ad illam obiectionem quartam alio modo distinguendo consequens: dantur sex vniuersalia species, quarum aliqua non est ex his quinque, aut contenta sub aliqua ex illis, nego consequentiam; quarum sexta est ex his quinque, aut con-

tenta sub aliqua ex illis, concedo, nec id est contra diuisionem: & hæc responsio est longe facilius quam præmissa, quæ tamen est communior.

Possit obici, quod si diuisio intelligeretur hoc modo ita scilicet vt diuidentia non essent species infimæ sed subalternæ, potuisset reduci ad pauciores numerum; vt verbi gratia ad quaternarium reuocando speciem & genus ad vnum prædicabile quod esset prædicabile in quid, quamuis rursus hoc prædicabile in quid posset diuidi in alias species, nimirum in prædicabile in quid complete, & in quid incomplete.

Respondeo concedendo totum, nec id etiam esset inconueniens, nec inde sequeretur quod male data sit per quaternarium numerum, sufficit enim ad diuisionem quod sit adæquata, & quod non sit per valde multa membra ad confusionem vitandam; nec per valde pauca, quando continet diuisum varias sub se species, ad vitandam obscuritatem. Quod si vitentur hæc extrema, intra illa potest dari iuxta discretionem diuidentis per plura vel pauciora membra, modo tamen detur adæquate: quod valde aduertendum est pro defensione multarum diuisionum, quæ in authoribus reperiuntur, ex quibus tamen aliqui impegerunt in illa extrema.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Vniuersale vt sic sit genus ad quinque Vniuersalia.

Hæc quæstio examinanda est tam de vniuersali metaphysico, quam de logico.

CONCLUSIO I.

113. *Non datur aliquod vnum vniuersale metaphysicum primo intentionaliter sumptum, quod sit genus proprie dictum ad omnia vniuersalia metaphysica.* Hæc videtur mihi conformis *Dotori q. 8. Vniuersalium*, vbi negat dari vnam vllam naturam genericam primò intentionaliter sumptam, quæ sit communis omnibus naturis genericis & aliis principiis eius: & videtur etiam communior; nam quamuis communiter admittatur vniuersale vt sic, esse genus ad quinque vniuersalia, vt postea dicemus, tamen id intelligitur de vniuersali logico.

*Probat*ur autem, quia nulla natura vna, primò intentionaliter sumpta est communis vniuersali ad naturas diuersorum prædicamentorum, præter naturam entis & transcendentium: sed natura entis & transcendentium non est natura vniuersalis vt sic, nec est illud, ratione cuius vniuersalia omnia habent esse vniuersalia; ergo non datur aliqua natura vna primò intentionaliter sumpta, quæ sit communis genericæ omnibus vniuersalibus. Probat^{ur} maior, quia non potest assignari vlla talis natura, nec aliud munus aut effectus istius primæ intentionis. Probat^{ur} etiam minor, quia non ideo substantia vt sic est vniuersale genericum, nec ideo rationale est vniuersale differentiale, nec album est vniuersale accidentale, quia includunt vniuersale ens vt sic, aut aliquid aliud transcendens primæ intentionis, quia si per impossibile aut possibile non includerent aliquid tale, adhuc essent vniuersalia talia propter prædicabilitatem quam habent de pluribus & communitatem ad plura.

Confirmatur, quia non datur aliqua natura genericæ primæ intentionis, quæ sit communis vniuersali omnibus naturis genericis primæ intentionis, vt tenet Scotus supra, & manifestum est: ergo neque datur à paritate rationis aliquod vniuersale metaphysicum, quod sit commune vniuersali ad omnia vniuersalia metaphysica communitate & vniuersatione saltem requisita ad genus proprie dictum, de qua communitate & vniuersatione loquor in conclusione.

Confirmatur vltimè per dicenda de differentia metaphysica.

Obicitur: Dantur plura vniuersalia metaphysica distincta rationis: sed de quolibet ex illis prædicatur in quid vniuersale vniuersale metaphysicum, vt sic, ergo datur vniuersale metaphysicum vt sic, quod est iplis committitur, & genus proprie dictum respectu eorum.

Respondet

Quomodo possit admitteri maior numerus prædicabilium quæ quaternarius.

Alia responsio ad obiectionem quartam.

Non datur aliquod vnum vniuersale metaphysicum primo intentionaliter sumptum, quod sit genus proprie dictum ad omnia vniuersalia metaphysica.